



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Historia Provinciæ Paraquariæ Societatis Jesv**

**Techo, Nicolas**

**Leodii, MDCLXXIII.**

Cap. 14. Socii subsidiarii & veterani Tucumaniam excolunt.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38528**

nis ergò delatus, quamvis spina totum transversum crus penetrans evulsa sit, tamen dolor malè affectæ partis per duos & viginti residuæ vitæ annos, semper fluida cicatrice, nunquam se remisit. Id vulnus patienter toleratum Joannes Rho eleganter, ut solet, in variarum virtutum historiam transtulit. Invalido corpore, animi vigor Ortægæ stetit: quocirca utcumque curatus, Fildio comite, universam fermè Guairaniam, quâ Hispanis patebat, & Xeresium oppidum, Sacerdote etiam destitutum, per difficillima itinera adivit excoluitque, donec uterque, iussu Majorum, post inductum externum Sacerdotem, ad Paraquariæ Metropolim, adnitate Marcello Lorençana, unum se populosæ civitati & ditioni imparem sine fine clamante, revocarentur: sic Ortéga & Fildius, incredibili Hispanorum & Indorum dolore, post octo annos, in ea Provincia summa cum laude positos, Assumptionis urbem repetivère. Ubi statim cum Lorençana apud Hispanos, Neophytos, Ethnicos, & Æthiopes, rem Christianam domi forisque insigniter promovère.

CAPUT  
XIII.  
Socii sub-  
darii Tu-  
cumaniam  
excolunt.  
1600.

**A**NNO sæculati, cum recens è Peruvia Joannes Darius, Ferdinandus Monroius, Joannes Arcos Sacerdotes, necnon Joannes Rodriguez Sacerdotii expers, in subsidium venissent, Joannes Romerus ita Socios omnes dispersit, ut præcipua Tucumania loca complecteretur. Gaspar Monroius, veteranus miles, cum socio non Sacerdote Saltensem tractum Omaguacis oppositum; Joannes Viana, & alter Laicus, Sancti Michaëlis ditionem; Petrus Agnalsus, & Joannes Arcos Esterensem regionem obtinere iussi sunt. Franciscum Angulum in diversas partes distrahebat Inquisitionis Fidei munus. Ipse Romerus, assumptis in socios Joanne Dario, & Joanne Rodriguez, Cordubam sibi delegit; magnâ omnium spe, insignibus cladibus dæmonem ubique debilitatum iri. Nec spem felices successus fefellere: quippe singuli Socii, variis velitationibus, Divini verbi ense, & clypeo Apostolico feroces, multos undique Barbaros, per Baptisma, & alia Sacramenta dæmoni creptos, Christo transcripsere. Singulorum victorias sigillarim non prosequar, ne rerum similium narratione fastidium pariam; satisfecisse ratus, si asseruerò à præclarissimis ducibus biennali excursionem nihil omissum inter Hispanos & Barbaros, quod prodesse posse Divinæ gloriæ augendæ, dæmonive subigendo, existimarent. Quamquam paulò explicatiùs expeditio Cordubensis hoc loco mihi tractanda venit, non idcirco quòd Sociorum labores ibi clariores hâc tempestate, quam alibi fuerint: sed quòd Corduba Provincia Paraquariæ (cujus ego Historiam molior) futura caput est, & juvet primariæ domus non indiligenter à me fundamenta poni, ut surgentia fastigia melius inclarescant.

CAPUT  
XV.  
De Societa-  
tis sede  
Cordubæ  
positâ.

Urbis Cordu-  
bensis fun-  
dator.

Cordubensis  
ditio excol-  
lur.

**A**NNO millesimo quingentesimo septuagesimo-tertio, Hieronymus Cabrera, nobilis Cordubensis, centum & viginti à portu Boni-aëris leucis, ad radices fermè asperrimorum montium, Cordubam in planitie fundavit. Cælum inibi hyeme non pluit; æstas nebulæ & pluviarum satis ad faciendam aliqualem fertilitatem advehit. Sub initia foundationis, quadraginta Sagittariorum millia in ejus latissima ditione computari dicebantur. Ex quo numero, octo adhuc millia anno sæculari Cordubensibus parebant; ceteri aut fato sublati fuerant, aut, avitorum morum & libertatis tenaces, Hispanis rebellaverant. Ad hanc urbem delatos Joannem Romerum & socios, frigidè admodum scives suspitionibus abalienati excepere. Sed mox expulsis suspitionum nebulis, condemnatâ suâ credulitate, in excipiendis Sociis ficitatem beneficiorum magnitudine compensantes, fundum amplum commodo urbis in loco, domumque, necnon sacellum adjacens, obtulere. Quam rerum possessionem ita inivit Romerus, ut si Peruvia Provincialis non annueret, irritam esse vellet. Postquam in paratas aedes migravère Socii, solitas Societatis Apostolicas artes in omni conditionis homines exprompsere, tantâ Magistratum approbatione, ut perpetuitatem sedis ambientes, de templo Societati condendo in commune egerint: quo in erigendo dum universa Civitas occupatur, Romerus cum sociis per ditionem Cordubensem, quaquà latè

pater,